



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

15. Lucretiæ quantus fuerit amor fidei coniugalis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

absq; opere, incidere in linguas, in calumnias, in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini, qui potest vos, etiam post latam in vos ab hominibus sententiam, à morte & iniuria infamia liberare, sicut Susannam liberavit. Quin, etsi occidi finat innocentes, non damnat, sed ornat: vult enim caltis imponere martyrij coronam; vt pulchrius fulgeant lilia rosis decorata.

## XIV.

Susannæ succedat decantatissimi nominis femina Penelope, Icari filia, nullis procorum blandimentis, nullis pollicitationibus adducta, vt absente, per viginti annos, marito Ulysi se, castitatem collutaret. Fuit Penelope femina; fuit opulenta; fuit ambitione digna; fuit ita diu deserta à marito, vt vidua posset haberi; fuit muneribus, alloquijs, lenocinijs sollicitata: neque vnum tantummodo habuit sollicitatorem, & omnes superavit. Quanta res est, inter tot impuros, castam mansisse? In his scopulis, quot aliæ feminæ nauem fregissent, & quàm multas naufragij sui excusationes atulissent? Sic Homerus eam laudat, sic alij prædicant Poëtæ, qui quantumvis alioqui salaces, tamen crediderunt, eam, per tot annos castitatem seruare potuisse. Horum vnus ita canit.

Ouid. lib. 3.  
Eleg.

*Penelope mansit (quamvis custode careret)  
Inter tam multos intemerata procos.*

XV.  
S. Augustin.  
lib. 1. de ci-  
uit. Dei c. 19.

Quòd si exemplum hoc ex fabulis est petitum, illud alterum ex historijs sumamus. Nam & Lucretiam (ait Augustinus) matronam Romanam pudicitia magnis efferunt laudibus. Huius corpori cum violenter oppresso Tarquinij regis filius libidinosè potitus esset; illa scelus improbissimi iuuenis marito Collatino, & propinquo Bruto, viris clarissimis & fortissimis indicauit, eosq; ad vindictam peruenit: sed facti in se commisi impatiens se peremit. Tantus dolor fuit, vel inuitam fuisse violatam. Homicidij hæc, non adulterij reas, faminas illas pudefacit, quæ adulteria sua, non in seipsis, sed in maritis suis vindicant, quos occidunt, vt possint adulterij liberiùs frui, ac custode remoto, quò libet, vagari. Neq; desunt feminæ, quæ ingenio atque arte, non secus atque Penelope illa Nocturno soluens texta diurna dolo, pudicitiam suam defenderunt,

Propert. lib.  
2.